



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

672.2 2672 2

ca - 28

Q.1111



UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT



000000044417

25-3





**OCTAVII FERRARII  
DE  
PANTOMIMIS  
ET MIMIS**

**DISSERTATIO,**

**In patavino Lyceo**

*Publice olim, magnoque cum adplausu  
recitata,*

**Nunc vero primum in lucem edita.**

**Cum duabus epistolis**

**Vna IACOBI FACCIOLATI,**

**altera IO. PHIL. SLEVOGTII,**

**& IO. FABRICII**

**ad non neminis**

**Dubia de Orthographia latina**

**RESPONSIONIBVS.**



**WOLFFENBUTTELI,**

---

**SVMTIBVS GODOFREDI FREYTAGII  
Bibliopolac.**





IOANNES FABRICIVS

*Clarissimo & Eruditissimo  
Viro*

IACOBO FACCIOLATO,

*Seminarii patrivini Praefecto*

*dignissimo,*

S. P. D.

**P**RO *Ferrarianae de Pantomimis & Mimis Dissertationis* munere, quod mihi longe gratissimum fuit, publice tibi iam gratias ago, easque maximas; sed & eandem tibi reddo, non scita atque erudita manu scriptam, quale exemplum tu mihi misisti, at typis tamen non contemnendis impressam: egregium enim hunc ferrariani ingenii foetum, quem tu thesauri loco habebas, mihi que soli communicatum ibas, privatis parietibus includere, nec eruditum in orbem producere, religio erat. Liceat autem mihi bona cum venia, imo ni totus fallor cum adprobatione tua, addere gravissimam & elegantissimam illustris viri, Io.

A 2

Phil-

40  
*Philippi Slevogtii*, Iureconfulti & Polyhi-  
storis apud Ienenſes celeberrimi, ſcriptam  
ad me epistolam, qua is *Ferrarii* latinita-  
tem contra cenſorem quendam, virum  
alioqui doctiſſimum, deque re litteraria  
optime meritum, maſcule graviterque  
defendit. Et quamvis litterae tuae, diſ-  
ſertationis praediſtae comites, pudorem  
meum onerent, pluraque mihi tribuant,  
quam in me reperiri queat, tamen & illas,  
ut teſtem non quidem deſtinatae, ſed da-  
tae tamen abs te, cauſae huiusce editionis,  
placuit adiungere, ipſique praemittere diſ-  
putationi. Quod inſtitutum probabitur,  
ſcio, communi amico noſtro, *Iulio Ferra-  
rio*, illuſtre genus litterarum ſtudiis or-  
nanti, iisque probe exculto. Neque vel  
huic, vel tibi ingratum erit, quidquid eſt  
meum ad non neminiſ dubia de ortho-  
graphia latina *Reſponſionum*, quas tanquam  
ſamulam adiungo elegantiffimae Polyhi-  
ſtoris epistolae, maxime cum orthographia  
non ſit res vilis ac puerilis, quamvis &  
pueros ea imbuere neceſſe ſit, ſed ab eru-  
diſſimis viris magni ſemper aeſtimata,  
ſtudioſe culta, & ſolicite obſervata. Cete-  
rum ſic velim exiſtmes, me tibi omni  
alia in re, ſed benevolentia, ſtudio & offi-  
ciis



ciis minime unquam cessurum, in elegantis autem, pacatae, solidaeque eruditionis promotionem vires, quantulae cunque sint, libenter tecum promteque impensurum. Sed nec dum, litteratissime vir, te possum dimittere. Dum enim in eo sum, opusculi huius editionem ut procurem, incidi in insignem Hugonis *Grotii* locum, ubi ~~mimorum~~ fit mentio in re sacra, & quasi herba vel medicamen porrigitur contra obrectationis fascinum, quasi materia horum foliorum a studiis & foro nostro sit aliena; nec temperare mihi possum, quin eum huc transferam. Sic autem ille sui vir nominis in S. Lucae evangelistae caput XIV. vers. 23. commentatur: *Christiani, praecipue primorum temporum, ob vim illam subitam atque eximiam Spiritus sancti, quae die Pentecostes statu violento adumbrata fuit, dici possunt quasi vi pertracti.* Exempla praeter illud Pauli nobile dari possunt ex *Martyrologio* nonnulla; ut de mimis duobus, qui cum christiana mysteria per ludibrium imitarentur, sub *Diocletiano* alter, alter vero sub *Iuliano*, subito mutati, ac christianos se professi sunt. Alia non addo, cum, quae apud SS. Patres, *Irenaeum*,

*Tertullianum, Cyprianum, Augustinum* ea de  
re leguntur, minime te fugiant. Vale.  
Helmstädtii Saxonum, IV. Calend. Maii,  
1714.

---

IACOBVS FACCIOLATVS

*Nobilissimo ac Litera-  
tissimo*

IOANNI FABRICIO

S. D.

**E** *tsi non una de causa statueram lu-  
cubrationem hanc Octavii Ferrarii  
τῆ παύσ, quae de publico suggestu  
olim excepta, perque manus homi-  
num tradita ad me denique pervenit, intra  
domesticos parietes perpetuo retinere; id ta-  
men accidit per hosce dies, quod me senten-  
tiam mutare iussit, & opes exquisitissimas in  
medium proferre. Cum enim considerarem,  
quanto studio Ferrarii scripta ab eruditissimis con-  
quirantur & legantur, quantumque utilitatis  
inde liceat haurire, visum est e re esse noti-  
tiae*

tiae literariae, hanc eruditi thesauri particulam non mihi soli asseruare, sed cum aliis etiam, in primis tecum communicare, Fabrici praestantissime, qui olim Ferrario familiarissime usus, hac ipsa de re disputantem audieris. Immo si nec ulla tibi cum viro illo immortalis necessitudo fuisset, nec lectionibus eius interfuisses unquam, tamen erat, cur ad te potissimum Ferrarii avūdata mitterem, qui varia ejus opera, undique studiosissime collecta, typis nitidissimis procudenda curasti. Consilium hoc nostrum probavit in primis ornatissimus vir, Iulius Ferrarius, Octavii filius; qui multa iam diu patris sui ἀνακεχωρηότα Θεωρίσματα in lucem emisisset, tibi que inscripisset, nisi testamenti religione probiberetur. Accidit etiam hoc peropportune ad meum in te studium singulare declarandum, ut luculenter ostenderem, quanti a me fieres; eaque potissimum re ostenderem, quæ tibi esset gratissima, & forte probatissima. Non debuit sane, neque potuit angustis Germaniae finibus nominis tui fama contineri, sed late vagata ut omnes ubique, ita me praesertim in tui admirationem pertraxit, ut causas saepe aliquas diligentissime quaesierim, quibus literarum commercio aliquando coniungeremur. Vbi autem

*autem sa primum occasio dedit, statim occur-  
ri, ac libentissime arripui. Si quid est, quod  
in hac nostra erga te voluntate probandum  
putes, mutua inprimis benevolentia significa,  
deinde his rebus, quibus studia nostra grae-  
cae latinaeque humanitatis iuvare possint.  
Vale. Patavii a. d. 14. Martij 1714.*





# OCTAVII FERRARII

De

*Pantomimis & Mimis*

DISSERTATIO

I.

**Q**Uiritium animos tot bellis efferatos, trucesque adhuc imagine caedis & sanguinis, ut permulceret Augustus, molliotosque paulatim obsequio assuefaceret, praeter alia innumera spectacula histriones ac pantomimos induxit, praecipuusque eorum fautor & spectavit ipse frequenter, & pleraque iisdem indulgit: primo, ut ait *Tacitus Annal. l. 54. dum Maecenati obtemperat effuso in amorem Bathylli*: deinde quod civile rebatur misceri voluptatibus vulgi. Immo hoc genus ludicri primo ab Augusto inductum existimarunt docti viri ex *Suida*, qui ait, saltationem pantomimicam ab Augusto inventam, Pylade & Bathyl-

thyllo eam exercentibus; nam ante Augustum nullum pantomimorum vestigium fuisse: & ideo hanc quoque labefactati imperii causam ab *Zosimo* l. 1. p. 329. referri, quod Octavii temporibus pantomimorum saltatio, ante incognita, in usu esse coeperit, Pylade & Bathyllo primis eiusdem auctoribus. Ita *Lipsius*. Quod an verum sit, \* infra videbimus.

II. Certe eorum ars valde mirabilis fuit, ut vix a nobis percipi, ne dum recte explicari possit, cum penitus aetate nostra interciderit. Nam cum primo in tragaediis, sublato choro, introducerentur qui modos facerent, etiam actores inducti sunt extra argumentum, quorum urbanitate, ac iocis animi spectatorum laxarentur: atque hi ab imitatione *Mimi* dicti sunt. Sed alii, quod taciti, sola saltatione ac gestu omnia, quae a tragaedo canebantur, exprimerent, ac repraesentarent, graeca voce *Pantomimi* dicti sunt, quasi omnium imitatores. Antiquitus dicebantur *Histriones*: quae vox etrusca erat, ut ait *Livius* l. 7. item *Ludii*, sive *Ludiones* a Lydis: nam Thufci Lydorum colonia. Igitur discrimen erat inter tragaedum & comoedum, & inter histrionem. Tragaedus, & comoedus cantabant carmina in scena: sed histrio ea, quae a tragaedo, vel comoedo canebantur, sola saltatione ac manuum gestu exprimebat ac repraesentabat. Clarum hoc ex *Suetonio* in Caligula, c. 54. *Canendi ac saltandi voluptate ita efferebatur, ut ne publicis quidem spectaculis temperaret, quo minus & tragaedo pronun-*

\* Num. XIII.

*pronuncianti concineret, & gestum histrionis, quasi laudans, vel corrigens, palam effingeret. Vbi tragædo tribuitur cantus, saltatio & gestus histrioni. Omnis ergo eorum ars, ac virtus, motu corporis, pedum agilitate, & gesticulatione, quæ in scena caneantur, ita imitari, & exprimere, &, ut loquitur D. Cyprianus, verba manibus expedire, ut muti intelligerentur, &, ut sic dicam, spectatorum oculi audirent. Nec inepte Casiodorus l. 1. ep. 20. ubi loquitur de pantomimo: Hanc partem musicae disciplinae mutam nominaverunt maiores, scilicet, quæ ore clauso manibus loquuntur, & quibusdam gesticulationibus facit intelligi, quod vix narrante lingua, aut scriptura textu possit cognosci. Idem l. 4. Var. loquacissimas eorum manus, & linguosos digitos appellat.*

III. Quomodo autem hoc fieret, difficile nobis explicatu est, quia nulla artis eius vestigia ad memoriam nostram, aut admodum tenuia pervenerunt. Ita autem factum esse, non pauci scriptores testantur. Quod ut clarius intelligatur, exempli causa, Hercules furens in scena per Pantomimum saltandus fuit atque exprimendus. Poëtæ carmina in hanc rem adhibito tibicine, a tragædo caneantur, ut nunc Venetiis canuntur. Tum pantomimus Herculis ornatu inducebatur, qui ea omnia, quæ caneantur, saltatione ac gestu exprimebat, caput iaciens, cervicem intorquens, comam rotans, minaciter oculos obvertens, fremens frendensque, humum pedibus plaudens, frontem manu feriens: mox arcum expediens, contrahens cor.

cornua, sagittis liberos traiciens, alios manu lacerans, tandem semivivus humi procumbens; & cetera, quae ab Hercule furente acta veteres tragici, praecipue Seneca, finxerunt. Eadem ratione pantomimus gestu referebat Oedipum sibi oculos eruentem, Medeam liberos necantem, Aiacem vesanientem, Canacem parturientem, Thyestem mandentem liberos, & reliqua theatrorum spectacula, nec fabulas modo, sed historias. Seneca Ep. 121. *Mirari solemus scenae peritos, quod in omnem significationem rerum & effectuum parata illorum est manus, & verborum velocitatem gestus assequitur.* Vnde pantomimus Chironomus dictus, & ars *chironomia*, quasi lex ad eorum gestum, quae manibus fiunt. Quod *Lucianus* de saltatione dixit, *manibus loqui*, & *Sidonius* carmine 23. Iuvenalis sat. 6.

*Claussis faucibus & loquente gestu.*

*Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo:*

Ledam scilicet ab Iove sub specie cynci compressam, id est, gesticulatricem. Hinc graecus poeta l. 2. c. 38. Antholog. iocatur in saltatorem ineptum: *Omnia iuxta historiam saltans, unum negligens molestia nos affecisti. Niobem enim saltans stetisti ut lapis, & rursus capaneus statim concidisti. Sed in Canace inepte, quod ensis esset tibi, & vivus existi. Hoc contra historiam; debebas enim te vere interficere.*

IV. Tacitos autem solo gestu, ac saltatione egisse, non est dubitandum. Narrat *Macrobius*



*crobius* l. 2. Saturnal. c. 7. Pyladem histriionem Augusti temporibus clarum fuisse, qui Hylam discipulum usque ad aequalitatis contentionem eruditione provexit. Cum Hylas iste canticum quoddam desaltaret, cujus clausula erat: Τὸ μέγαν Ἀγαμέμνονα, sublimem ingentemque Hylas velut metiebatur. Non tulit Pylades, & exclamavit & caeca: οὐ μακρόν, ὃ μέγαν πρῶτος, tu longum, non magnum facis. Tunc populus eum coëgit idem saltare canticum, cumque ad locum venisset, quem reprehenderat, expressit cogitantem: nihil magis ratus magno duci convenire, quam pro omnibus cogitare. Saltabat idem Hylas Oedipum, qui se obcaecarat. Pylades ut saltantis securitatem castigaret, dixit: οὐ βλέπεις, tu vides. Cum in Herculem furem prodiisset, & nonnullis incessantibus histriioni convenientem non servare videretur, deposita persona ridentes increpuit & Μωροὶ, μανόμενοι δὲ χεῖματ', stulti, furem salto. Haec fabula & sagittas iecit in populum. Eandem personam cum iussu Augusti in triclinio ageret, & intendit arcum, ut Hercules, & spicula misit: nec indignatus est Caesar, eodem se loco Pyladi, quo populum romanum fuisse.

Nec minus insigne exemplum est pantomimi apud Suetonium in Nerone. Nam cum histrio Atellanarum exprimeret canticum eius fabulae, quod tale erat, ὕψιον πάτερ, ὕψιον μήτηρ, ita gestu demonstravit, ut bibentem, natantemque faceret, exitum Claudii & Agrippinae significans; & in novissima clausula, orcus nobis ducit pedes, senatum gestu notavit. Idem Nero pollicitus fuerat, se histriionem saltaturum Virgilii

gilli Turnum, id eſt, ſaltatione ac geſtu repraeſentaturum. *Tertull. Apolog.* 217. *Pamel.* 234. 172.

Alterum Pantomimorum exemplum luculenter ſuppeditat *Apuleius* l. 10. *Mileſ.* p. 233. Nam Paridis iudicium ſaltatione ac ſolo geſtu actum deſcribit ſat copioſe. Nos ſumma tantum capita tangemus. Ac primo fuiſſe, qui phrygio habitu Paridem referret pecoris magiſtrum, mox adfuiſſe nudum adoleſcentem, talaribus & caduceo ornatum, qualis Mercurius inducitur. *Is*, inquit, ſaltatorie procurrens, malumque braſſeis inauratum dextera gerens, ei, qui *Paris* videbatur, porrigit, quid mandaret *Iupiter*, nutu ſignificans. Sequebatur puella in deae *Iunonis* ſpeciem ſimilis, quae varios modulos laſciva concinnente tibia procedens, quieta & inaffectata geſticulatione nutibus honeſtis paſtori pollicetur, ſi ſibi praemium decoris addiſſet, ſe regnum totius *Aſiae* praeſtaturam. At *Minerva* inquieto capite, & oculis in aſpectu minacibus, citato & intorto crure, geſticulatione alacri demonſtrabat *Paridi*, ſi ſibi victoriam formae tradidiſſet, forſem tropaeisque bellorum inclytum ſuis adminiculis futurum. At *Venus* nudo & inteſto corpore perfectam formoſitatem profeſſa, circumfuſo *Antorum* populo placide commoveri, conſtantique lenta veſtigio, & ſenſim annutante capite coepit incedere; & nunc mite conniventibus, nunc acceſſantibus geſtire pupillis, & nonnunquam ſaltare ſolis oculis. Haec ut primum ante iudicis conſpectum facta eſt, niſi brachiorum polliceri videbatur, ſi fuiſſet deabus ceteris antelata, daturam ſe nuptum *Paridi* forma praecipuam, ſuique conſimilem. Tunc animo volenti *Paris* malum,

*tum, quod tenebat, aureum, veluti victoriae calculum, puellae tradidit.*

V. Haftenus Apuleius, qui rem totam tantum non oculis subiecit. Sed & funesta spectacula, & atroces historiae exprimebantur, siue saltabantur. Narrat enim *Appianus* alexandrinus in Parthicis, Crasso a Parthis cum toto exercitu interfecto, caput ipsius Crassi a *Surena* copiarum duce ad *Orodes* regem in Armeniam missum. Qui cum nec linguae graecae, nec litterarum rudis esset, in convivio graeca acroamata introduxit. Cumque allatum esset caput Crassi inter epulandum, *Iason Tralianus* tragaedus cecinit ex *Euripidis* *Bacchis* carmen de *Agave*, cum caput *Pentei* filii ab se interfecti furens gestaret: atque ita correpto Crassi capite *Bacchabundus*, magno spiritu pergebat canere versus illos, *Ferimus ex montis ambitu nuper caesam venationem optimam:* cumque, subiicit *Appianus*, redeuntibus chori vicibus, quidam, id est, pantomimus, saltaret illa verba, *Mens, meus hic honor;* profiliens *Maxartes*, qui Crassum interfecerat (discumbere enim in convivio) ad se trahebat caput, tanquam sibi potius, quam illi debitum. Rex vero spectans laetabatur: & utrumque magnis muneribus profecutus est. In tale, inquit *Appianus*, *exodium expeditio Crassi desit, sicut quadam tragaedia.*

VI. Ceterum *Lucianus* de saltatione T. IV. p. 119. cum clarissimam saltatoris, siue pantomimi laudem esse dixisset, *nosse, quid de-*  
ceat,

ceat, sive decorum servare, & id ipsum explicare posse, subiicit: *Explicatam autem habitum perspicuitatem ego dico*, rectius in græco, τὴν σαφήνειαν τῶν σχημάτων, perspicuam figurarum expressionem. Quoniam vero, inquit p. 129. *imitatrix est saltatio, motibusque & gestikulatione ea, quæ cantantur, semet expressuram pollicetur; summopere illi necessarium est, ut unum quodque, quod ab illa demonstratum fuerit, ita clare, ita perspicue ob oculos positum repræsentet, ut nullius enarratoris egeat opera: sed, quod pythico oraculo proditum est, oportet saltationis spectatorem & mutum saltatorem intelligere, & nihil loquentem audire.* Narrat ergo, Neronis tempore pantomimum eximium ac celebrem saltasse Veneris & Martii adulterium, Solem furtivi concubitus proditorem, Vulcanum mœchantibus insidias machinantem, ac vinculis utrosque illaqueantem; deas spectaculo assistentes, Venerem suffuso rubore pudefactam, & meticulosius veluti supplicantem. Quare Demetrium illum, qui ab saltatore invitatus fuerat ad spectandum exclamasse: *Audio, o homo, cuiusmodi facias, neque enim tantum video; sed mihi videris ipsis loqui manibus.* Subiicit porro, barbarum quendam ac semigraecum, cum hunc saltantem spectasset tam perspicue, ut, quanquam nihil eorum, quæ canebantur, intelligeret, callide tamen omnia perciperet, discessurum rogatum a Nerone, ut, si quid vellet, peteret, *Da mihi, dixisse, hunc saltatorem; nam cum nobis vicini sint barbari lingua dispares, nec ita facile sit mihi tot interpretes, comparare, si alicuius egens*

*egens ero, hic nutu, ac gestu quaque mihi interpretabitur.*

VII. Idem *Lucianus*, ubi docet, quemadmodum in orationibus, sic in saltatione vitandam esse cacozeliam, sive malam affectationem (quod fit, quando in actione exceditur modus: ut si magnum quid demonstrandum est, illud praeter modum demonstratur: si quid molle ac tene-  
rum, illud nimis effaeminatur) narrat, quendam pantomimum alioqui celebrem, cum illi *Aiax* desaltandus esset furens, tantum a saltationis decoro excidisse, ut non *Aiacis* furentis insaniam repraesentare; sed ipse omnium iudicio plane furere, ac debacchari videretur. Vnius enim, qui ferreis calceamentis solum pulsabat, vestitum violenter discidit: alterius e musicorum numero correptam tibiam *Vlyssis* iuxta stantis, & ob armorum victoriam gestientis, capiti illidens incussit: & nisi tiara obstitisset, quae ictus violentiam excepit, infelix ille *Vlysses* periisset, ad verberantis saltatoris pedes prolapsus. Atqui universa spectantium corona simili morbo vesaniae correpta, una cum *Aiace* pariter insaniebat: & exilientes vociferabantur, ac vestes a se proiciebant. Neque vero ille his contentus quietum egit; sed progressus in medium senatorum, id est, in orchestram, inter duos consules confedit medius, admodum metuentes, ne unum ex illis correptum, ut *Aiax* arietem, flagellis caederet. Ut aliqui existimarent, ex immodica insanire affectatione; alii vero, furoris morbo correptum fuisse. At prudentiores haec

B

repre-

reprehendebant; quod etiam in repræsentanda insania modus non sit excedendus, et quoties contra decorum aliquid Pantomimus peccabat, coarguebant: ut cum aliquis cœlum indicans, manum & oculos demitteret, eum *gestu soloecismum facere* dicebant, & si quæ corpori vitia inerant, ut si quis longior aequo, aut brevior, pinguior, aut strigosior esset, illudebant. Ita cum Antiochiae corpusculo admodum modico pantomimus scenam ingressus saltaret Hectorem, uno ore omnes exclamaverunt: *Astyanactem videmus: ubi Hector est?* Rursus alio quopiam præter modum longo Capanea saltante, qui Thebarum muros conscendere conabatur, *Transcende*, inquit, *saltu: nihil scalis opus tibi est.* Quin etiam impendio corpulentum, & obesum saltatorem false subsannarunt: qui cum ingentem saltum facere adniteretur, *Theatrum nobis*, inquit, *fulciendum fuerat.*

VIII. Pantomimi igitur cuncta nutu, & saltatione sine voce exprimebant. In Antholog. l. 3. c. 7. de Chrysomalo pantomimo mortuo dicitur. *Taces, Chrysomale, instar ferrei. Non autem amplius nobis imagines, præscorum absolutis hominum volucribus ægyptiis, nutibus mutis. Tuum vero beatissimum silentium nunc triste est, quo antea delectabamur.* Cui simile de Philistione mimo mortuo: *Sæpe quidem mortuus, nunquam vero sic.* Alibi Py-ladem inducit *παρῳοῖς χερσὶ*, nihil non gestu exprimentibus, sive omnia significantibus. Notum est ex Plutarcho, & aliis, Ciceronem operam Roscio comoedo & Aesopo tragaedo studiose

diose dedisse. Eum Mucrobis tradit cum Roscio etiam contendere solitum, utrum ille saepius eandem sententiam variis gestibus efficeret, an ille per eloquentiae copiam sermone diverso pronuntiaret. *Artemidorus* l. 2. c. 38. *Si quis puerum saltantem in somnis viderit*, id est, pantomimum, *cum & surdum & mutum futurum: quando solis gestibus cuncta repraesentantur sine voce, & ubi auribus opus non sit.* *Athenaeus* l. 1. ait, quendam saltatorem nomine Memphim, eundemque philosophum pythagoraeum, aperte demonstrasse, quanta pythagoricae philosophiae vis esset: ut qui tacens sola gesticulatione omnia manifestius indicaret, quam qui artem dicendi se docere profiteretur.

IX. Ingens itaque voluptas spectatorum esse debuit. Sane *Iuvenalis* sat. 6. matronas romanas usque ad insaniam huic ludicro deditas infectatur:

*Chironomon Ledam molli saltante Batillo,  
Tuccia vesica non imperat: Appula gannit  
Sicut in amplexu: Subitum & miserabile longum  
Attendit Thymele.*

Ait enim, romanas mulieres, cum spectarent pantomimos, non sibi temperasse, quin prae dulcedine lotium emitterent: alias, quoties ludi cessarent, personam ac larvam, thyrsus, & reliqua pantomimorum ornamenta tristes exosculari solitas: nec praeter rem est, quod *mollem Batillum* appellat: nam hi homines effaeminati fuerunt, atque impudici. *Columella* de Re rust. lib. 1. *Attonitique mirantur gestus effaeminatorum,*  
B 2 *quod*

quod a natura ſexum, viris denegatum, muliebri motu mentiantur, decipiantque oculos ſpectantium. Ter- tull. in apolog. *Quid, quod imago Dei veſtri ignomi- niſſimum caput, & famoſum vertit: quod corpus im- purum, & ad illam artem effeminatione productum Minervam, vel Herculem repraeſentat: nonne viola- tur maiestas, & divinitas conſtupratur laudantibus nobis?*

X. Non eſt igitur mirum, ſi propter artifi- cium & propter formam, viri ac mulieres pan- tomimos aequae deperirent. Ita Maecenatem in Bathylli amorem effuſum diximus ex Tacito. Cui ut faveret Auguſtus, eidem ludicro pluri- mum indulſit. Immo tantum ſtudium, atque honos in haec propudia hominum fuit, ut veſti- bula eorum, quaſi Principum, frequentarentur; eosque domo egreſſos non modo vulgus, ſed Equites, ac Senatores deducerent. Tacitus An- nal. l. 77. *De modo Lucaris & adverſus laſciviam fautorum multa decernuntur: Ne domos pantomi- morum Senator introiret: ne egredientis in publicum Equites romani cingerent, aut alibi, quam in theatro, ſpectarentur.* Plinius l. 29. *Nullius hiſtrionis equo- rumve trigarii comitator egreſſus in publico erat.* Seneca epiſt. 4. 7. *Oſtendam nobiliſſimos juvenes mancipia pantomimorum.* Et l. 7. quaeſt. natural. p. 32. *Stat per ſucceſſores Pyladis & Batilli domus: ha- rum artium multi diſcipuli ſunt, multique doctores. privatim urbe tota ſonat pulpitum. (in quo ſaltabant) In hoc viri, in hoc faeminae tripudiant: mares inter ſe, uxoresque contendunt, uter det latus illis, id eſt, eo- rum latera in comitatu cingat. Niſi forte Hylae le- gen-*



gendum, qui inter pantomimos valde erat celebris, maximeque aestimabatur. Hinc auctor de Causis corruptae eloquentiae graviter conqueritur, propria & pecularia urbis Romae vitia pene in utero matris concipi, histrionalem favorem, id est, pantomimorum & gladiatorum, equorumque studia, idque inter causas corruptae eloquentiae retulit. Postremo *Tertullianus* de Spectac. c. 22. *Etenim ipsi auctores, & administratores spectaculorum quadrigarios, scenicos xysticos, arenas, illos amentissimos, quibus viri animos, faeminae autem illis etiam corpora substernunt. Ita Galenus de praecognit. ad Posth. c. 6. narrat, se reprehendisse morbum mulieris, qui caeteris incognitus. Aegra enim erat ex amore pantomimi, & morbum indicare erubescat. Nam dum affidet aegrae, quidam, inquit, e theatro superveniens narravit, se Pyladem saltantem conspexisse. Statim mulieris vultus, & faciei color immutatus est. Cum viderem, ait porro Galenus, brachio manum statim admovi, pulsusque subito variis modis agitatum inveni: id quod animi perturbati indicium est. Talem enim pulsus & qui de re aliqua certant, habere solent.* Hinc *Ammianus Marcellinus* indignatur, cum sub Constantio urbe philosophi ob metum caritatis annonae pellerentur, tria millia saltatricum ne interpellata quidem, totidemque remansisse magistros, hoc est, trium pantomimarum millia, totidemque pantomimos pulsos philosophis in urbe retentos. Nec minor indignatio *Senecae* c. 12. de Consolat. *Quorum pantomimae decies H S nubunt, id est, XX millibus aureorum,*

XI. Nec mirum : tam lucrosa ars illa erat, immensaque pantomimorum pretia fuerunt. Nam *Budaeus* de asse l. 2. ex *Plinio*, Aesopum histrionem sestertia D, id est, XII millia & D. aureos annuos meruisse, sive mercedis loco accepisse, ostendit. Quae licet incredibilis summa videatur, levis tamen censenda est ex eo, quod *Cicero* in oratione, quam pro Roscio habuit, ait, cum iam factum divitem, cum HS sexagies consequi posset, noluisse, iureque infinitas pecunias *Cicero* appellat : sunt enim CL aureorum millia. Et *Macrobius* l. 3. c. 14. *Saturnal.* ait, eundem Roscium mercedem diurnam de publico mille denarios sine gregalibus solum accepisse, id est, C aureos. Quam summam si singulis anni diebus accepisset, essent XXXVI. millia, & D aurei : sed cum *Budaeo* credimus, diebus tantum ludorum accepisse. Verum, quod fidem omnem exasperat, subiicit *Macrobius*, Aesopum, de quo ante dicebamus, ex arte ducenties HS reliquisse filio, quae sunt D coronatorum millia : &, quod majus argumentum est, inusitato luxu vitam transegisse dicitur. De eo *Plinius* l. 10 c. 51. *Maxime tamen insignis est in hac memoria Clodii Aesopi tragici histrionis patina, DC. HS taxata : in qua posuit aves cantu aliquo, aut humano sermone vocales, nummum VI. millibus singulas coemptas. Dignus prorsus filio, a quo devoratas diximus margaritas.* Ergo una patina XV millia aureorum aestimata : cum C aviculae singulae CL aureis constarent. Quod a filio ait devoratas margaritas, id posuerat l. 9. c. 35. cum Cleopatrae mentionem faceret, quae unionem

unionem centies HS. aestimatum, aceto liquefactum absorbuit. *Non ferent tamen, inquit, hanc palmam: spoliabanturque etiam luxuriae gloria. Prior id fecerat Romae in unionibus magna taxationis Clodius, tragaedi Aesopi filius, relictus ab eo in amplis opibus haeres, (ne triumviratum suo nimis superbiat Antonius pene histrioni comparatus) & quidem nulla sponfione ad hoc perductus, quo id magis regium erat: sed ut experiretur in gloria palati, quid saperent margaritae; atque ut mire placere, ne solus hoc sciret, singulos uniones convivis adsorbendos dedit. Tanti expedit minus esse aut histrionem, quam rhetorem aut philosophum.*

XII. Ceterum cum non unus tantum pantomimus saltaret, sed alii tragaedias, ut Aesopus, alii comoedias, ut Roscius, exprimerent, orta sunt civium certamina. Et cum ipsi inter se pantomimi contenderent, discors in histrionibus favor, cum alii Bathyllo faverent, & eorum successoribus, alii in tragaedum, alii in comocedum proniores essent. Maleque semper coërcita eorum licentia, eaque contentio ad manus & caedes veniebat. *Tacitus Annal. l. i. c. 77. Theatri licentiam proximo anno coeptam gravius eripisse, caesis non modo e plebe, sed militibus & centurione, vulnerato tribuno praetoriae cohortis, dum probra in Magistratus, & dissensionem vulgi prohibent. Aucta ea licentia, postquam Augustus immunes verberum histriones pronuntiaverat. Macrob. l. i. de Pylade: Is cum propter seditionem pro contentione inter se, atque Hylam habita, concitatam indignationem Augusti vidisset, dixit: Etiam ingratus es, Imperator,*

*sine eos circa nos feriari.* Magnum civilis prudentiae arcanum, etiam si ab histrione pronunciatum. Videlicet ad securitatem imperii conducebat, ut populus non de libertate & Caesaris dominatu cogitaret, aut concors viveret; sed de ludis atque histrionibus contenderet, & hisce nugis occuparetur. Et ideo Augustus cunctos dulcedine otii pellegerat: eo tamen res deducta est, ut sub Tiberio pantomimi Italia pellerentur, & ab ipso Nerone ac Domitiano vel scena pellerentur, vel relegarentur: cumque Nerva reduxisset, Traianus optimus princeps hanc imperii labem, tot discordiarum malorumque causam, in totum sustulit.

XIII. Ex quibus falli necesse est *Lipsium*, (quod *Salmasius* ad *Histor. aug.* notavit) qui ex *Suida*, & *Zosimo* \* sub Augusto pantomimos primo inductos existimat. Nam antiquissimos fuisse, & pene cum ipsa rep. ortos, docet *Livius* l. 7. ubi loquens de ludis scenicis, primo institutis, parvam rem initio fuisse tradit: sine carmine ullo, sine carminum imitandorum actu, ludiones ex Etruria accitos, ad tibicinis modos saltantes, haud indecoros motus more tusco dedisse, & quia hister tusco vocabulo *ludio* dicebatur, nomen histrionibus inditum; *primo autem*, inquit, *iidem canebant, & quae canerent imitabantur*, id est, saltatione ac gestu. *Primus Livius* poetâ, ut idem narrat, *cum saepius revocatus a populo*, id est, iussus eadem repetere, *vocem obtundisset; venia petita puerum ad canendum in vicino posuit, cantumque egit, aliquanto magis vigente more, quia nihil*

\* *Casaubonus* Animadvers. in *Athacn.* l. I. c. 17.

*hil vocis usus impediēbat. Hinc cani ad manum histri-  
onibus coeptum. Quid plus egerunt sub Augusto  
pantomimi, quam quod, quae ab alio caneren-  
tur, ipsi saltarent? Itaque assentimur Salmasio,  
cum initio pantomimi cum tragaedis & comoe-  
dis inter actus (per intermedio) saltarent, sub Au-  
gusto separasse se ab illis, & artem propriam, ac  
peculiarem fecisse, ac propterea dicendum, tum  
primo inventam esse. Sed pantomimi vox ve-  
teribus ignota: cum simpliciter histriones dice-  
rentur. Macrobi. l. 2. c. 7. Pylades, quia fereba-  
tur mutasse rudis illius saltationis ritum, qui apud ma-  
iores viguit, & venustam induxisse novitatem, inter-  
rogatus ab Augusto, quae saltationi contulisset? respon-  
dit, αὐλῶν οὐρί, γὰρ τ' ἰσότην δῦαδον τ' ἀνθρώπων, tibia-  
rum fistularumque sonum, & multitudinem ho-  
minum. Nam primus pro una tibia adhibuit plu-  
res: item fistulas, (quod antea non factum) & cho-  
raulem cum choro; cum antea pythaulēs accine-  
ret sine choro, sic dictus quasi qui Pythia cantaret.*

XIV. Sed pantomimia a theatro ad men-  
sas, & convivias vocati sunt. Et quod est pla-  
ne ridiculum, scissores sive structores, & carpi,  
id est, *trincianti & scalchi*, saltantes ac gesticu-  
lantes carpebant cibos, & contruncabant. *In-  
venalis sat. 5.*

*Structorem interea, ne qua indignatio desit,  
saltantem specta, & chironomanta volanti  
cultello, donec peragat dictata magistri  
omnia: nec minimo sane discrimine refert,  
quo gestu lepores, & quo gallina secetur.*

Chironomon, & chironomia lex gestuum, qui  
manu fiunt.

XV.

XV. Ceterum plane mirum est, manuum gesticulatione fabularum argumenta expressa: quis credat, etiam solis curibus, ac pedibus, veluti manibus, id artificium peractum, & quidem inverso corpore, capitique ac manibus incumbente? *Herodotus* l. 6. narrat, *Clistheni Sicyoniorum regi filiam fuisse*. Hanc pater destinabat nuptum dare ei, quem praestantissimum Graecorum omnium comperisset. Cum igitur ludi olympici celebrarentur, nunciari iussit voce praeconis, ut, quisquis se dignum putaret, qui *Clisthenis* gener esset, is intra sexaginta dies *Sicyone* praesto foret, quod *Clisthenes* vertente anno nuptias celebraturus esset. Convenere igitur ex tota Graecia, atque ex Italia opibus ac genere clarissimi: inter quos *Megacles* & *Hippocliides* athenienses praecelebant. *Clisthenes* ante omnia patriam singulorum familiamque percontatur. Deinde eos omnes annum apud se detinens, exploravit uniuscuiusque & virilitatem, & iracundiam, & eruditionem, & mores: nunc cum singulis, nunc cum universis congregiens. Sed inter eos praecipue illi cordi *Hippocliides*. Cum autem destinatus nuptiis dies illuxisset, quo edixerat, indicaturum se, quem ex omnibus generum deligeret; mactatis centum bobus, in convivium tum ipsos procos, tum omnes *Sicyonios* accepit. Postea vero, quam coenatum est, proci certamen de musica habere coeperunt, & de sermone, qui in medio proponebatur. Procedente portatione *Hippocliides* iussit tibicinem sibi canere *ἰμυλῆαια*, id est, sedatum quoddam saltationis genus. Tibicine obsequente, saltavit sibi quidem placens, sed *Clisthenes* omnem rem cernens, suspectam habebat. Post haec *Hippocliides* iussit sibi mensam inferri; qua illata, pri-

mum

*num super eam laconicos saltavit modulos, mox alios atticos, demum supra mensam capite statuto, auribus veluti manibus gesticulabatur. Ad cuius primam & secundam saltationem esistomachabatur Clisthenes, eum, qui tam impudens esset, generum sibi fieri; tamen sese continebat, notens excandescere. At ubi vidit cruribus veluti manibus gesticulantem, iam se ultra continere non sustinens, Hippoclitides, inquit, desaltasti matrimonium, id est, hac impudenti saltatione nuptiis excidisti. Cui ille: non est istud curae Hippoclitidae. Vnde natum proverbium. At Clisthenes Megacli filiam collocavit.*

XVI. Diximus, aut nulla, aut admodum exigua extare hodie pantomimorum vestigia. Nam fugientes eorum reliquiae durare videntur in eo ludionum, sive saltatorum genere, qui in Gallia cisalpina *Mattaccini* appellantur. Eorum vestitus, quo agiliores sint, corpori adpressus, & membra exprimens. Persona sive larva antiquo more sine barba, neque admodum venusta, prominente mento, & qualis vetularum facies est. Hi per urbem saltantes discurrunt, obvios loris, & scuticis, quod veteres luperci faciebant, incessentes. Manum fronti obtendunt: quod Fauni ac Sileni agebant ad solem defendendum, quod essent calui. Incredibili agilitate currus ac rhedas saltu transcendunt: per parietes repunt, in fenestras enituntur, citatque & intento crure corpus in sublime vibrant. Sed & diversos actus saltatione, ac gestu imitantur, tonsorem, fabrum, sutorem, & id genus scite referentes. Mox & simulacra pugnae taciti edunt, rudibus concurrunt,

runt, & digladiantur. Conjecturae nostrae fundus est *Athenaeus* l. i. qui *ὀπλοποιΐαν* sive bellicam saltationem, quam alii a Pyrrho *pyrrhicam* appellant, describens, *eam saltationem esse, ait, earum rerum imitationem, quam dictio cantionis enunciat,* id est, pantomimicam. Tradi autem a *Xenophonte* in Cyri expeditione, eam in convivio apud Thraces adhibitam. Nam postquam diis libatum est, surrexere primi Thraces, & ad tibiam armati saltare, leviter in altum subsilientes, ac vibrantes quantientesque gladios. Tandem alterum ferit alter, ut homines percussum omnes crederent. Ille vero artificiosa simulatione cecidit, cunctis reclamantibus. Mox qui sauciasset videbatur, iacentem armis spoliat. At reliqui Thraces humi stratum, ut mortuum efferunt.

XVII. Hoc enim inter alia a Saliis nostris, sive *mattaccinis* agi, saepe non sine voluptate spectavi. Nam & armatam saltationem edunt gesticulando, & aliquis se mortuum fingit: eum reliqui inter manus efferunt. Idque mihi revocat in mentem tragicum facinus, quod ex hac mimica saltatione conflatum est ante aliquod annos in Germania, ut a viro gravissimo accepimus. Duo primarii iuvenes eandem puellam summo loco natam procabantur. Ea postquam alteri desponsata est, rivalis amore atque aemulatione amens, rationem excogitavit, qua illas nuptias funestas, & sponso pestiferum gaudium redderet. Nam cum nuptiale convivium per dies Bacchanalium celebraretur maxima hominum frequentatione, & hilaritate; ille re cum sociis communicata, *mattaccinorum* agmen ducens



cens, ingressus triclinium, circa discumbentes tripudiare coepit, nec indecoros modos saltatione edere. Vnus ex his ad sponsi aurem accedit, ac nescio quid insusurrat. Sponsus artificii non ignarus, iuvenili lascivia surgit de convivio, ac ceteris immixtus ad numeros corpus movet, & reliqua spectaculi eius peragit. Armata saltationem occipiunt, ac post breve certamen cadit sponsus, & se mortuum simulat. Illum reliqui in vicinum conclave efferunt, & de more funebrem gesticationem peragunt, ac veluti naeniam celebrant. Paulatim deinde saltantes dilabuntur, adhuc iacente sponso. Fabulae huius tristis admodum, atque atrox exitus fuit. Nam postquam illum Salii extulerant, ut res vere, non fîcte repraesentaretur, ab intenso rivali obstricta gula suffocatus est. Putabant convivae, cum ceteris ad consueta tripudia discessisse. Cum mora suspecta esse inciperet, ingressi cubiculum servi solum eum eliso gutture iacentem invenere. Quis sponsae & convivarum sensus fuerit, malo vos ex rei atrocitate coniiicere, quam ex verbis meis aestimare.

## DE MIMIS.

XVIII. Praeter pantomimos & mimi fuerunt, dicti quidem & illi ab imitando, sed in hoc ab iis diversi, quod non saltatione, ac gestu, sed voce ac verbis res ridiculas in scena repraesentabant: ut meretricem, moechum, lenonem, avarum, virum ebrium, qui comissatum eat ad amicam, hortorum furem, medicum peregrinum

num aegris praecepta dantem. Qualia autem essent mimorum argumenta, declarat *Tertullianus* in Apologet. Caetera lasciviae ingenia etiam voluptatibus vestris per deorum dedecus operantur. Dispicite *Lentulorum* & *Hostiliorum* venustates: utrum mimos, an deos vestros in iocis & strophis rideatis: moechum *Anubim* & masculum *Lunam*, & *Dianam* flagellatam, & *Iovis* mortui testamentum recitatum, & *tres Hercules* famelicos irrisos. Luget *Sol* filium iactatum de coelo laetantibus vobis: & *Cybele* pastorem suspirat fastidiosum, non erubescens vobis.

XIX. Turpia ergo, & obscœna ferme mimorum argumenta erant: praecipue adulteria, & maritorum deceptiones. *Ovidius* 2. de Tristibus conquestus, se ob carmina damnatum, subiicit:

*Quid si scripsissem mimos obscœna iocantes,*

*Qui semper iuncti crimen amoris habent?*

*In quibus assidue cultus procedit adulter,*

*Verbaque dat stulto callida nupta viro.*

Subdit, virginem nubilem, matronas virosque ac pueros & magnam senatus partem spectaculo interfuisse: nec satis fuisse incestis vocibus aures temerari; sed

*Assuevisse oculos multa pudenda pati.*

*Cumque fefellit amans aliqua novitate maritum,*

*Plauditur, & magno palma favore datur.*

*Quodque minus prodest, poena est lucrosa poetæ,*

*Tantaque non parvo crimina Praetor emit.*

Nam *Ædiles*, & *Praetores* ludos edituri, mimos & fabulas a poetis magno redimebant. Et conversus ad *Augustum* ait:

*Lu.*

*Laminibusque tuis, totus quibus utitur orbis,  
Scenica vidisti laetus adulteria.*

Et initio quidem tam mimi, quam pantomimi pars comoediae fuere: mox, ut diximus, separati sunt, & seorsum in scenam prodire. Mimi autem vox tum ipsum drama, sive rem repraesentatam significat, tum ipsum actorem. Dicti autem *παρὰ τὸ μιμεῖσθαι*, sive ab imitatione vilium rerum, & personarum. Etsi enim non solus imitetur, (nam & comoedia & tragaedia, & tota poësis imitatrix est) solus tamen, ut Scaliger in Poëtic. privilegio quodam hoc nomen possidebat: quemadmodum qui versus facit, per excellentiam *ποιητὴς* dicitur, id est, fictor, sive artifex; cum alii sint artifices, nec poëtae appellantur. Diomedes l. 3. *Mimus est sermonis cuiuslibet motusque sine reverentia, vel factorum turpium cum lascivia imitatio, ita ut ridiculum faciat. Neque negamus*, inquit Vossius de Poëtic. *comoediam etiam ridicula multa, & lasciva imitari. Quod ex Aristophane ac Plauto videre est. Sed longe lascivia vincebant mimi, totique erant ridiculi.* Praeter ea aliud erat discrimen, ac magis ad rei perti- nens naturam. Nam nulla erat in mimis, ut in comoedia, fabulae constitutio: & ideo aberat connexio, & solutio: quae comoediae partes praecipuae esse solent. Cicero pro Caelio: *Mim* ergo iam exitus est, non fabulae: in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus: deinde scabella concrepant, aulaeum tollitur.

XXI. Finis ergo mimorum erat duplex, ut universae comoediae, scilicet docere, & delecta-

lectare. Docebant enim utilibus vitae sententiis: quales ex P. Syro, & Laberio supersunt non paucae, & quaedam egregiae apud Senecam, & Macrobiū. Eo etiam moribus conducebant, quod homines improbos falsis suis dictis riderent, interdum etiam nec viris principibus parcentes. *Capitolinus* in M. Antonino philosopho c. 29. *Crimini ei datum est, quod adulteros uxoris promoverit: cum Tertullum etiam prandentem cum uxore deprehenderit. De quo mimus in scena, praesente Antonino dixit, cum stupidus nomen adulterii uxoris a servo quaereret, & ille diceret ter Tullus, & adhuc stupidus quaereret, respondit ille: Iam dixi ter, Tullus dicitur.* Sed festivius est, quod narrat de Vespasiano *Suetonius* n. 19. qui, reliqua Imperator optimus, avaritia infamis fuit: *In funere, inquit, eius, Favor archimimus personam eius ferens, imitansque, ut est mos, facta ac dicta vivi, interrogatis palam procuratoribus, quanti funus, & pompa constaret, ut audivit, HS. centies, id est CCL. milibus aureorum, exclamavit: Centum sibi HS darent, ac se vel in Tiberim proicerent.*

XXII. Alter mimorum finis erat, ut populum delectarent. Quod consequerentur dictis ridiculis; sed ferme, ut diximus, turpibus, obscenis, ac plane scurrilibus. Et ideo civitas Massiliensium, disciplinae sanctitate pernobilis, nullum aditum in scenam mimis dabat, quorum argumenta maiore ex parte stuprorum continerent actus, ut ait *Valerius* l. 2. c. 6. n. 7. Vnde liquet, cur iocos mimicos ab oratore segreget *Cicero* in 2. de Orat. Atque ex eo, quod risum captarent,

*urbani*

*urbani & scurrae* dicebantur. *Plant. Trinum. A. l. sc. 2. v. 165.*

*Urbani assidui cives, quos scurras vocant,*

Nunc distinguuntur hae voces : & *urbanus* dicitur, qui modesto lepore, ac facetiis intra poemateria natis utitur : *scurra*, qui turpibus dictis & conviciis de trivio, aut lupanari sumtis risum invereconde captat. Accedebat ad turpitudinem, quod Bacchum repraesentabant, & *Itbyphalli*, ac *Phallophori* dicebantur, ut ait *Arnobius* l. 7. p. 103. fascinorum ingentium rubore; quas voces interpretari pudor vetat.

XXIII. Ex mimorum genere fuere *Planipedes*, quorum meminit *Juvenalis*, & *Macrobius*. Sic autem appellati, ut ait *Diomedes* l. 3. quod actores planis pedibus, id est, nudis, sive cum soleis proscenium introierent: non, ut tragici actores, cum cothurnis, neque ut comici, cum foccis: sive, quod olim non in suggestu ac pulpito; sed in plano orchestrae actitabant: à *piè piano*. quod placet *Vossio* de arte poet. mihi prior notatio verior videtur. Non omnes autem mimos, sive mimorum scripta fuisse obscaena, vel hoc argumento erit, quod *Plato* *Sophronis* mimos tanti semper fecit, ut iis indormiret, & suppositos capiti libros eius, cum moreretur, habuisse credatur, ut tradunt *Valerius Max.* & *Quintilianus*.

XXIV. Apud Romanos fuerunt *Atellani*, sic dicti ab *Atella* Oscorum urbe; unde & fabulae Romam translatae. Qui & *Exodiarit* dicti sunt: nam cum in fine fabulae intrarent

C

ad

ad risum ciendum, & exodus sive exodium graece dicatur finis, sive exitus; exodiarii appellati sunt. *Invenalis* sat. 6.

*Urbicus exodio risum movet atellanae.*

Quae fabulae partim ad comoediae, partim ad satyricae fabulae naturam accedebant: ut dici possint comoediae satyricae. *Livius* l. 7. ubi ludorum scenicorum originem tradit, narrat, iuventutem romanam, histrionibus, id est, pantomimis fabularum actu relicto, inter se ridicula in-texta versibus iactitasse: quae inde postea exodia appellata, confertaque fabellis potissimum atellanis sunt. Quod genus ludorum ab Oscis acceptum tenuit inventus, nec ab histrionibus pollui passa est. Itaque Atellani differerebant a mimis, quia ioci atellani gravitate italica condiebantur; quippe plurimum erant ingenui, non turpes, & obsceni. Quae de causa atellani honestiore loco erant, quam ceteri histriones; &, ut *Livius* ait, nec tribu movebantur, & stipendia, tanquam expertes artis ludicrae, faciebant.

XXV. Ceterum mimi paulatim a scena ludisque in convivia, & segne otium oblectandum vocati sunt: resque in scurrilitatem plebeiam versa est. Qui quoniam de sua virtute praedicabant, *Aretalogi* dicti sunt. Et quia nimia de laudibus suis iactabant, quod putidi essent, &, ut *Plautus* loquitur, *stercorei*, graece *Copriae*, sive *Copreae* dicebantur: quod idem sonat. *Suetonius* in *Tiberio* c. 61. *Interrogatum eum subito, & clare a quodam nano adstante mensae inter copreas*, id est, inter scurras. Et in *Claudio* c. 8.

e. 8. de eius contemptu, in quem propter stupiditatem venerat: *Quoties post cibum obdormisceret, (quod ei fere accidebat) olearum, & palmarum ossibus incessabatur. Interdum solebant & manibus sterentis socci induci, ut repente expergefactus faciem sibi confricaret: interdum ferula, flagrove, veluti per ludum, excitabatur a copreis. Ita D. Cyprianum olim gentiles Coprianum appellarunt, quod aniles, ut ipsi volebant, fabulas, & multa mendacia suis scriptis inseruisset.*

XXVI. Scurras mimarios & scenicos hodie vocamus *Buffones*: atque ita a veteribus vocabantur, quod buccas, & genas inflarent alapis excipiendis, ut validius sonarent. Nam alapae propriae scurrarum deliciae fuerunt. *Iuvenalis sat. 8. Mamercorum alapas. Tertullianus de Spectac. Faciem suam contumeliis alaparum sic obiicit, quasi de praecepto Domini ludat: si quis percusserit tibi maxillam &c. Martialis lib. 5. epist. 62.*

*O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini:*

*Te successurum credo ego Panniculo.*

Et alibi l. 2. epist. 27.

*Os tibi percisum, quanto non ipse Latinus*

*Vilia Panniculi percutit ora sono.*

Nam *percidere* est batuere, tundere. Et Panniculus Latini mimi minister, ad risum concitandum sinebat se percuti alapis, crepitantibus malis. Venetiis aiunt, *far posca*, ubi turgentibus genis vilissimi homines impactas alapas excipiunt, a sonitu illifarum maxillarum, & collisione labiorum. *Iuvenalis sat. 5.*

*Pulsandum vertice raso*

C 2

prae-

*Præbetis quandoque capus.* Nam iidem moriones raso vertice erant. *Arnobius* l. 7. p. 103. *Delectantur stupidorum capitis rasis sapientiarum sonitu atque plausu*, id est, alaparum. Quoniam igitur scurrae excipiendis alapis genas inflabant, *Bufones* dicebantur, ut *Salmasius* ad *Tertullianum* de *Pallio* notat. *Adamantius Martyrius*: *Bufo*, ὁ κωκυθαδός. Sic ranarum dux ab *Homero* appellatur: & *rospi* (die *Skroten*) *bufones* vocantur; sicut *lagena* vitrea rotunda, ac tumida, *buffone*: *beffare* autem est subflare. Hinc *saccibucces* *Arnobio* dicuntur, qui buccas naturaliter tumidas, & inflatas habent. *Non nullos turgentibus malis, aut buccarum cumulatione.* l. 3. p. 48.

XXVII. Iidem & *fanniones* dicti sunt, & hodie *Zanni*, a *fannis*. Homines enim huiusmodi facie magis, quam facetiis ridiculi, qui rictu oris, labiorum ductu, totius vultus distortionem, atque gestu ridenda schemata exprimerent, aliorumque mores ac gestus per ludibrium imitarentur, Graecis *fannae*, & *fanni*, recentioribus *ζάννοι*: atque ita ab idiotis appellatos tradit *Eustachius* *Odyss.* ξ. nam *fanna* pro irrisione & subsannatione. Vetus interpret *Persii*: *Sanna est os distortum cum vultu: quod facimus, cum alios deridemus.* Quae etiam *μωρία*, & *μωκία* ore vultuque distorto aliquem deridere. Nos: *Far la mocca.* *Plautus* *Mil. glor.* a 2. s. i. v. 15. *Labii dum ductant eum.* Et *Gellius* l. 18. cap. 4. *Labiorumque* (al. *labearum*, vel *labiarum*) *ductu* irridere.



Tria autem fannarum genera expressit *Persius* sat. 1.

*O lance, & tergo quem nulla ciconia pinxit,  
Nec manus auriculas imitans est mobilis albas,  
Nec linguae quantum sitiatis canis appula &c.*

Vbi vetus interpres primum genus fannae ait esse ciconiam: cum coactis in longum digitis rostrum ciconiae formarent, idque post tergum deridentes motitarent: secundum, appposito temporibus pollice, auriculas asini imitari: quo gestu stultos, & praecipue poëtas deridebant. Eumolpus apud *Petronium*: & me pueri quidem, velut insanum, imitatione petulantissima illudebant. Tertium genus fannae, linguam exercere, ut canes sitientes solent.

Neque adeo recens fannae genus est, quo impudicarum mariti duobus digitis corniculorum instar erectis denotantur. Nam *νεσασφόρος* vocabant, quorum uxores moechabantur. Extat *Lucilii* graecum epigramma in Grammaticum *νεσασφόρον* sive cornutum:

*Nunc vero doce narrans Paridis, & Menelai,*

*Intus habens multos tuae Helenae Parides.*

*Artemidorus* l. 2. c. 12. Fuit quispiam somniorum interpres, qui cuidam, qui sibi visus fuerat in somnis desidere super ariete, & ex ipso ex anteriori parte cecidisse (erat autem proculus, puellamque desponsatam habens, illis diebus nuptias celebraturus erat) hoc somnium sic exposuit: Vxor tua scortabitur; & quod dici solet, cornua tibi faciet. Atque sic evenit. Ille ob somnii praesagium recusatis nuptiis vix post multum

tempus ab amicis persuasus duxit illam, quae erat desponsata. Verum prae somnii metu uxorem custodiebat. Et illa quidem post annum sine probro decessit. Cum autem aliam duxisset, ratus, somnii minas praetergressas, in infortunium incidit. Haec enim ad ultimam scortationem progressa est.

*Summe reverendo Viro***IOANNI FABRICIO**

S. P. D.

**IO. PHIL. SLEVOGTIVS.**

**T**E promissum semel iterumque, sed obiectis gravibus remoris, pro deposito paene habitum, scriptorem nostri aevi inclitum, OCTAVIUM FERRARIUM, ea cura & successu, per modicum illud, quo inter nos silemus, spatium, revocare publicum in conspectum studisse, ut VARIA eius OPERA propediem repraesentare nobis integra queas, est quod magnopere tibi gratuler. Nam quantum doleri debet, reginae olim elegantiorum litterarum Italiae, quae tot Varrones, tot Tullianae facundiae aemulos, aut cum reliquis veterum disertissimis certantes, proximis saeculis dedit, tam horrida nunc fata incumbere, ut nova barbariae sedes videatur futura: tantum profecto tu extollendus es, qui quod illa civi suo, pristini splendoris gravissimo vindici debebat officium, homo Germanus occupas, tuumque pariter, quamvis satis decantatum nomen, tanto scriptori perpetim iunctum peragrare facis cultiores orbis terras, & seram ad posteritatem durare.

C 4

Equi-

Equidem vulgus litteratorum, ex suo tantum captu cuncta aestimans, facile posthaec etiam Ferrariani ingenii careret monumentis: neque quisquam ulli, nisi acrioribus naturae stimulis ad sublimia feratur, ut in sequendis tam arduis vestigiis operae multum & temporis infumat, temere auctor fuerit. Ceterum, quisquis non contentus est plebeia & eruditione, & ratione dicendi, accumulata in illis inveniet variae & profundae doctrinae tantam copiam, tamque illustria, ad veterum maxime formam, & sine inani verborum strepitu, canorisve nugis, scribendi exempla, qualia *nescio an in quoquam recentiorum* reperiantur.

Fatemur sane, quorum aures solius Ciceronis ac Caesaris ac Terentii, & his similium Latinae linguae auctorum deliciis, tanquam Musarum concentibus, adsuetae sunt, illi in Ferrarium incidentes, durum, male compositum, atque a mediocritate ea, quam in aureae aetatis scriptoribus tanto posteritas opere admiratur, longius abeuntem, & vel tumidum, vel tumori proximum, poëtis etiam, quam oratoribus, affinem esse criminabuntur. At vero, nisi totus fallor, idem regei his potest, quod Andreae Alciato, Tacitum asperius perstringenti, a Ciceronis studiosissimo imitatore *Mureto*; quod Lucretium fastidientibus ab Hadriano *Turnebo*; quod denique pro sui aevi oratoribus ab auctore *Dialogi de Causis corruptae eloquentiae* fuit responsū: Delicatulis istis, solam aurium voluptatem captantibus, nil placere, nisi quod blandum sit, suaviloquum, & mol-

molle; quidquid ex adverso plenius paullo sonet ac gravius, id tanquam acerbum, raucum, atque horridum fastidiri: nihil probari illis hominibus, nisi quod gracile sit, deductum, humique propemodum serpens: si quid sanguinem & succum habeat, si lacertos & toros, attollaturque generosius, velut inconditum, tumidum, & altius quam deceat exaggeratum, abiici; quasi non & nostri aevi genius exigat grandem, qualem *Petronius* esse iubet, orationem, & poëticum quendam, ut laudati *Dialogi* verbis utar, decorem, ex *Horatii*, *Virgilii* & *Lucani* sacrario prolatum.

Quanquam non dissimulandum est, minime a *naevio* omnibus *Ferrarium* abesse; verum eius generis, qui virtutibus multo maioribus compensentur. Neque ignotum est *Dionysii Longini*, veterum criticorum principis, magno sequentium rhetorum consensu approbatum iudicium: Magnificum illud & *sublime dicendi genus*, (in quo *Ferrarius* omnino regnat) tametsi vitiis sit obnoxium, praestare tamen *mediocri* nusquam impingenti, siue profam, siue ligatam orationem spectes: fieri enim non posse, ut, qui ad summum contendunt, non interdum labantur, & oneri cedant; neque tam numero, quam magnitudine sua, & vero pretio virtutes aestimandas. Hinc idem *Longinus*, quamvis in *Homero*, & aliis eminentiore ingenio ac stilo scriptoribus, non paucos observari lapsus, nec mediocriter his velut maculis offendi fateatur, incuriae tamen magis adscribit, ac *fortuitae hallucinationi*, quam ut vitio aucto-

auctoribus vertat : solam quippe in tantis viris, dum gravioribus se intendunt, levicula minus curantes, mentis facere altitudinem, ut cetera non multum requirantur.

Interim in *Ferrario*, quantum ego video, parum invenias, quod iure displiceat & carpatur, praeter *compositionem* : cuius saepe numero nimis est negligens; sed fere, *ubi docet* tantummodo, satisque habuit, rem ipsam, sicuti est, sine anxia verborum iunctura tradidisse. Ut & hac parte non vires ei defuisse intelligas, sed solam voluntatem. Quantam enim etiam hac laude valuerit, quamque nulli scriptorum cedat, ubi placuit animum attendere, vel solae operi de Re vestiaria, & Electorum libris, itemque Originibus linguae Italicae praemissae *dedicationes*, ut alia omittam, satis ostendunt. Quibus equidem, in tanta praesertim sententiarum ubertate, *nihil est perfectius* : sed nec quicquam, ut testabuntur, qui paria tentare aggressi fuerint, difficilius; eamque ipsam esse causam arbitror, cur subinde minus se praebuerit diligentem. Sicut de cetero, *ubi dandum aliquid vel iis, ad quos scribebat, vel quibus stylum commodabat*, censuit, lubens ingenio, cuius generosissimi in eo fuere impetus, *indulsi*, nubesque audacius petiit. Quam enim his capiantur hodie Italorum aures, quam late grassetur vesana granditatis affectatio, & tu praesens cognoveris, & alii, qui nec Italiam nec edita in vulgus eorum scripta oculis usurparunt, e creberrimis Iani Nicii *Erythraei* querelis condiscant.

Ex

Ex omnibus autem oratoris *Ferrari* monumentis, principem locum meretur dictus L. V. DOVICO M. Galliarum regi, *panegyricus*: in quo vim atque fecunditatem ingenii, splendorem orationis, pondus sententiarum, & cogitationum altitudinem vir horum studiorum intelligentissimus, *Io. Georgius Graevius*, tantam esse praedicat, ut, quam *Ferrarii* eruditionem & facundiam dudum suspexisset, nunc fateatur se adorare. Scio, quanta *Pliniani Panegyrici*, optimo Imperatorum *Traiano* dicati, semper fuerit admiratio. Verum & novi hominem, qui, quod paradoxon & audax quibusdam facinus videatur, non dubitet illum *Ferrariano*, sive ingenium, sive iudicium, sive eruditionem & rerum copiam, sive denique ipsam eloquutionem aspicias, pronuntiare minorem. Tanta in hoc inventionum felicitas, tam mens sublimis, & cum argumenti maiestate certans ingenium, ut, qui quorundam locorum paria in *Plinio* exempla quaerat, frustra sit futurus. Utque iudicii in eodem vim perspicias, etiamsi summum ubique sit artificium, nusquam tamen ostentationem artis deprehendas, non vanam acuminum affectationem, & quaesitas cum legentium fastidio argutias. Nemo quisquam *Persianum* illud hic iure occinat: *Librat in antithetis*. Praeter haec amplificationes nullae rerum inopes: non inutili verborum pompa diffusum, quod, ubi breviori gyro comprehenderis, & dicat satis, quod debebat dici, & minus habeat molestiae, plus ponderis: quin omnia potius conferta multiugi eruditione, verbisque paucissimis  
ingens

ingens historiae tam antiquae, quam novae, & civilis prudentiae silva, luculenti materia commentarii, continetur. Iam adverte mihi animum ad genium Romani sermonis; adverte ad numeros, & totam compositionem; agnosces, ab aurea aetate proxime abesse *Ferrarium*, nec loquendi formulam aut verbum occurrere, quo iure offendaris: numeros vero, & consociatam cum suavitate perpetuam gravitatem vix habere comparationem. Tandem non ignotum est de Pliniano Panegyrico Io. *Sturmi*, & hodie eruditorum, licet incomparabilem in eo facundiam laudantium, iudicium: caveruntque prudenter, & alios monuere disertis aetatis nostrae viri, ne illum nimium imitarentur. Ego certe, ut candide fatear vel errorem meum, vel nescio quem morbum, quoties eum in manus sumo, facere non possum, quin evolutis paucis paginis aliquid sentiam taedii, avertarque ad alia: planeque veram nec solis Gallorum auribus datam, *Gracvii* de Ferrario sententiam puto, *perfectius eloquentiae specimen aetatem nostram hand vidisse*, sive solos recentiores cum eo compares, sive veteres similis argumenti scriptores. Et tamen si parantiquis, immo quibusdam maior habitus, *Scaliger* pater in oratione, qua *Andeltem* Caesarem filium luget, videatur secum ipse certasse, ut summum in eo ingenium summamque facundiam vel parens ille eloquentiae ac litterarum Cicero miraretur; tamen, praeterquam quod argumentum sterilius erat, crediderim, ipsum Scaligerum Ferrario palmam delaturum fuisse.

Atque



Atque hoc loco notandus est *nuperi scriptoris*, cuius de historia praeterlapsi saeculi postumus liber prodiit, haud levis error. Is quippe a *Boeclero*, in extremo Musei, hunc Ferrarii panegyricum perstrictum opinatur, quum Isaaci *Vossii*, solo conviciatoris nomine designati, contumeliosam de Germanorum id genus scriptis sententiam, aequo ferre animo non posset. Quamquam *Vossius* non tam, quid ipse sentiat, quam quod augustissimae *Suecorum Reginae* iudicium fuerit, exponit, ad plerorumque & Germanorum praecipue, panegyricos, sibi fasces imperii capeffenti oblatos, nausentis. Lapsus, quem diximus, auctor ille fuit, neque legit ipsam *Vossii* ad Ferrarium epistolam. Etiam panegyricam orationem, Galliarum regi, publicato dudum Museo, habitam, vidisse non poterat *Boeclerus*, quum suam ex *Vossiana* censura indignationem profiteretur. Nempe de *Pallade Suecica*, Panegyrico, laudatae Reginae, quum imperium auspicaretur, dicto, & *Vossius* & *Boeclerus* loquuntur, tot profecto ingenii, eruditionis, & facundiae luminibus praefulgente, ut *Boeclerus*, quando *Freinsheimii*, simili tunc opera pertuncti, anteferre conatus sustinuit, non obscure suam ipsius egerit causam.

Nam in eodem argumento versatus, omnino *Freinsheimium* gravitate & magnificentia stili longe superat: neque si eloquutionem consideres, quidquam facile reperias numerosius, & maiore studio compositum: at vero, si res ipsas expendas, si sententias quaeras, argument

menti fastigio non indignas; quid tandem inventurus es praeter inanem verborum splendorem ac pompam? Adeo vitare non potuit tam celebrati nominis vir exprobratum *Germanis* ac *Polonis* commune vitium, & illos & hos, dum maximi sibi esse videntur oratores, grandibus, sed vacuis rerum verbis lectori imponere. Accedit, quod nescio qua ingenii, aut propositi culpa, non raro tam obscure loquitur, ut Delphica oracula videatur editurus, verbis quidem usitatis, nec perplexe iunctis, & singulis claram habentibus significationem; sed sententia tam abstrusa, ut eam vel Oedipus coniectore non assequatur. Quod genus obscuritatis censetur pessimum. Neque in solis eius orationibus utramque observes labem, sed in dissertationibus pariter: in quibus quaedam vel non capiat lector, quamvis ad mysteria illa non plane accedat profanus ac rudis; vel quae capit etiam, ubi vulgariter eloquutus fuerit, parum intelliget arcani habere: quo nomine, superstes adhuc, a viro doctissimo Vpsaliam quondam decorante, praefatione in Regnum Romanorum notatus creditur.

Neque illum iuverint, quae in censura programmatis, anno sexto & sexagesimo superioris saeculi in lucem editi, sive in Vindiciis secundum studia civilia, pro semet ipso dixit: Morem hunc fuisse veterum sapientum, ut tuenda auctoritatis gratia; quoque doctrinas suas contra contemptum munirent, adde, & accendendae aliorum industriae, data opera obscurius loqueren-

rentur. Nam utique vel laudanda, vel saltem ferenda, & sollertiore meditatione submovenda est obscuritas, qua, tanquam nebula, contentas vides sententias cognitu dignas, unde gaudeas te profecisse. Ac fere contingit, ut, quo quisque ingenio & doctrina est profundiore, eo difficilius, se licet minime id agente, quae dicit aut scribit, intelligantur. At vero, ita verborum involucris condere mentem suam, *ut nec ipse auctor, si interrogetur, quid sibi valuerit, explicare satius queat*, vitium est, intempestiuo patrocinio, aut excusatione plus reprehensionis meritum. Idem statuendum fuerit, si non res, sed mera *umbra rerum*, & pro fruge inanes paleae specioso verborum colore tegantur; aut, quod detectum, iam aliunde notum sit, vel cuivis sponte succurrat.

Ceterum ab *Oclavio Ferrario* utrumque & inanum verborum, & obscuritatis vitium procul abest, siue docentis munere fungatur, & variae argumenta eruditionis, aut civilem prudentiam interpretetur, siue oratoris agat partes. Illud etiam vitavit, ut, quamvis reconditae ubique doctrinae spargat flores, *nihil tamen intempestive ingerat*, & quod solius ostentationis causa appareat infarctum. In quo aliqui nostrae gentis tam longe a veterum praeceptis & exemplis, tam etiam a natura ipsa, affectationem, & coactum omne aspernante, aberrant, ut, quod quidam ludicri causa, integras epistolas & orationes proverbiiis stipantes, fecere, hi *constipatione exemplorum, & comparisonum* idem faciant, toto sacco

lacco Terentes, quod, sapienti *Corinnae* de usurpandis in carmine fabulis monitu, manu spargendum erat: tam insuper promiscua notorum atque ignotorum farragine, tam nullo primarii scopi, qui saltem constitui debuerat, habito respectu, ut pro delectatione, quam quaerunt, tædium fastidiumque pariant, & quantum ingenii ac multifariae lectionis aucupantur, atque etiam merentur laudem, tantum se ipsos privatum eant testimonio iudicii prudentiaeque.

Illud vix tangendum est, existere, qui Ferrario *intextam suis scriptis alienam purpuram, & perpetua quasi furta*, si non vitio, saltem nec laudi ducant: quibus tamen id assequutus sit, ut tum vel maxime admirationem plaususque excitet, quum spoliis veterum superbit. Quod certe non inficiandum est. Quis enim vel in ipso ingressu laudati panegyrici non agnoscat *statianum* illud? *Numen auditum longe mihi*. Sed non intelligunt hi homines, quam magnis *Ferrarium* auctoribus peccet; quantum id genus furtorum in optimis veterum & poëtis & oratoribus eruditi observent. Non ille tam fuit stupidus, ut quae aliunde mutuo petiit, pro suis voluerit haberi: & si qui tam in antiquorum monumentis peregrini, ut, quae ex Ferrarii penu deprompta sint, quae imitatione simpliciore ex aliis, per se haud animadvertant, non illius, sed lectorum culpa fuerit. Postquam Latinus sermo in ipsa veteri sede sua, ab aliquot iam saeculis, adeo in vulgari usu esse desiit, ut solis e libris, & magistrorum ductu hauriatur: illi sane, quibus aliqua

qua stili cura est, non rectius sibi consulunt, quam si probatissimorum ore auctorum perpetuo ad-  
suescant loqui. Nam tota sic oratio genuinae  
latinitatis colorem facilius refert; perfusaque  
passim gemmarum ex thesauris istis subduatarum  
luce, auctoritate maiore convestietur. Quod  
quam male neglectum ab illis fuerit, qui omnia  
volunt sua videri, & vix phrasin ullam, quam  
veteres usurparunt, intaminatam patiuntur, no-  
vum praeterea dicendi genus affectantes, ma-  
nifesta testantur documenta. Neque scio, an  
ullum sit notabilius, quam eloquentissimi alias  
scriptoris, cuius supra mentionem fecimus, *Boe-  
cleri* exemplum. Is quippe, dum sibi nimium  
indulget, ac professo paene studio detrectat ul-  
lam loquendi formulam antiquis integram debe-  
re; dum verba latina quidem, sed constructio-  
ne inusitata, suis, id est, novis, itidem a Roma-  
norum consuetudine alienis animi sensus appli-  
cat, id effecit, ut dicendi, quod sibi formavit,  
genus, neque aureae, neque sequioris aetatis  
respondeat genio: sed prorsus novum sit, ac ne-  
scio quid resonet *peregrinitatis*.

VERum haec tu fortassis non expectabas,  
VIR maxime reverende: neque ego sane, qui  
advena horum studiorum, in transcurso tan-  
tum, otiumque non nactus, sed brevissimo fur-  
to rapiens, Musarum vireta obeo, publice ista  
velim legi, ne professis talia magistris, & censo-  
ribus, iure merito ultra crepidam videar sapere.  
Tu tamen, qui *Ferrarium* familiariter veneratus  
es, & fundenti in applaudentium coetibus ora-

D

cula

cula animo linguaue favisti, meam de eo sententiam, tanquam luculentam ad breviores tuas responfionem non invitus accipies. Vale.

Icnæ 10. Ianuarii, 1711.

IOAN.

## IOANNIS FABRICII

ad non neminis de Orthogra-  
phia latina Dubia

## RESPONSIONES.

## DVBIUM I.

**L**itterae in diphthongis non sunt in vulgari  
sen cursiva scriptione divellendae, adeo-  
que non ponendum est ae & oe, sed a & o,  
sicut fecerunt Erasmus, Lipsius, Manu-  
tius, Vossius, Gronovius, Graevius,  
& alii. Ab his qui recedit, novitatem sectari vide-  
tur. Respondetur: Si vel maxime probatum  
hoc esset de Criticis hisce, nusquam tamen le-  
gimus, eos praeceptum ac regulam dedisse, &  
iure meritoque dare potuisse, sic, & non aliter  
scribendi. Nimirum secuti sunt morem vulga-  
rem, cui a pueris adsueverant, & accommoda-  
runt se typis, non ab eruditis, sed ab opificibus  
in gratiam typographorum, ut uno typo duas  
litteras absolvere possent, adeoque compendii  
causa formatis. Sed quod de *Manutio* dicitur,  
id quidem a vero abludit, si non ex libris recu-  
sis, sed iis, quos ipse edidit, iudicare velis: ha-

beo enim codicem Epistolarum Pauli Manutii, Venetiis Ao. 1571. in aedibus manutianis, ab Aldo iuniore, cum effigie Aldi senioris, tanquam (a) veris manutianae editionis indicibus, impressum, in quo omnes diphthongi disiunguntur, ac perpetuo scribitur ae & oe, nunquam vero æ & œ. Et illam scribendi rationem inter eruditos sequuntur Io. Vorstius, Noris, Io. Phil. Slevoigt, Christoph Schubartius, D. Antonius, D. Neumannus, D. Buddens, D. Pritius, (b) Cellarius, Schurtz-fleischii & Bergeri fratres, Kriegk, multique alii elegantioris ingenii: & Mitternachtius, optimis annumerandus magistris, ut mihi relatum est, approbavit. Eccur in vocibus, *aër*, *poëta*, & similibus, apponuntur puncta diaeretica, nisi ut ostendant, vocales a & e, item o & e, quae in aliis ut una litera leguntur, esse discernendas, & duabus syllabis pronuntiandas? Videantur (c) Scioppius, (d) Erasmus, (e) Caselius, & (f) Praeschiinus,

(a) Inscriptio addita sic habet:

LECTORI  
QVL LIBRI  
CVM. ALDI. IUNIORIS. NOMINE  
SENIORISQVE. EFFIGIE  
IN. POSTERV. EDENTVR  
EOS. TANTVM. SCITO  
MANVTIANAE. EDITIONIS  
ESSE.

(b) In Orthograph. lat. 14.

(c) In Grammat. philosoph. 156. 160. (d) In Lingua pag. 7. 10. 43. (e) Oper. T. 2. pag. 60. (f) In Grammat. nova lat. pag. 11.



schium, non grammaticæ, sed veri & excellentes Grammatici. Quid multis? Audiamus Georg. Schubartum, virum hac in arte exercitatissimum, qui consultus hac de re, instar oraculi sic pronuntiavit: *Ad hanc quaestionem vix respondendum: quia non ad orthographiam eruditam & romanam, sed longobardicam pertinet. Romanae litterae non sunt ligabiles, ut Grammatici loquuntur. Si tamen in marmore aere, vel gemma, litterarum compendium adpareat, id sit ex necessitate, propter spatium angustum. Ita Ein O inclusum, & Æ pingitur a Romanis, sed raro. Nostri scriptura vulgaris, quam latinam putamus, non est latina, sed barbarica, in qua litterae sunt ligabiles pro arbitrio scribentis: quare & diphthongi non aliter, quam consonantes, coniungi possunt, & coniunguntur ita, ne quid fiat contra orthographiam, vel orthoëpiam. Audiamus etiam accuratissimum Magn. Dan. Omeisium, quamvis ipse vulgari solitus sit uti scriptione: Illi, ait vir laudatus, qui pro a scribunt ae, Lipsium imprimis videntur sequi, qui in Orthographia sua scribit: AE diphthongus, sicut aliae omnes apud antiquos semper (\*) divisis litteris, non coniunctis, scriptae sunt: quod & hodie servatur a doctis. Neque vero inde sequitur, si scribam, quaeritur, verbum hoc quatuor, non tribus syllabis constare. Ratio mea haec est, quia veteres tō AE legerunt, ut E; imo saepius etiam E pro AE, & vicissim AE pro E posuerunt. Id quod contra Lipsium ostendit Rutgerius Var. lect. lib. 3. cap. 5. p. 206. Item: Pro scriptione ae insignis ad manus meas venit locus Salmasii, in veter. manu-*

D 3 scrib.

(\*) Vide Virgil. l. 7. Aen. v. 704. & l. 10. v. 189.

scriptis versatissimi, quem citat (a) Morhofius his verbis: Si quibus in libris manuscriptis diphthongus reperitur *Æ*, duabus literis non in unam coactis, sed separatis, expressa ad hunc modum *AE*, aut *ae*, scias, codices illos & vetustos esse inprimis, & fideli manu confectos. &c. Et alius vir doctus: Miror, inquit, Aristarchi ἀνεῖλαι. Inde a puero nomen meum scripturus didici, literis *a* & *e* signum (b) diaereseos esse inscribendum. Hoc vero quid opus, si distinctae scriptae hae vocales non coalescerent in diphthongum? Hisce adde litteratissimi viri iudicium, quod legitur in S. C. Schurtzfleischii praefatione in Orthograph. rom. pag. 7. & seqq. Nec me, inquit ille, nunc remoratur conglutinatio literarum vocalium, quas nihilominus distincte scribi oportere a doctore meo admonitus, asseveranter dico, si tabularum, quae non fallunt, & codicum, a quibus vitium abest, testimonio standum est: quod utique pro certo concessoque sumo. Id vero non tantum indicio nominis, duplicem sonum significantis, verum etiam antiqua pronuntiandi consuetudine firmatur, propterea, quod veteres Romani ita alii ad alios loquebantur, ut non confunderetur a pronunciante sonus, sed ab audiente etiam utraque litera vocalis perciperetur. Hodie, postquam illa tam accurata pronuntiandi ratio intercidit, literae tamen sub eodem sono diversae manent, & scribendo recte adhuc distinguuntur. Accedit, quod literae *AE*, quae diphthongum, arcessito a Graecia nomine, componunt, in locum *AI* successerint, & illae perinde, ac hae, distinctam scribendi rationem servarint. Argumento sunt nomina *CAESAR*, *PRAESVL*, & complu-

ra

(a) In Polyhist. T. I. pag. 60. (b) Cellar Orthograph. lat. 61.

ra eius generis alia, quae antiquitus scripturarum *CÆSAR, PRAISVL*. Vi vero ab antiquo scribendi literarum minusculas more discessum est, sic diphthongi literis quoque minusculis conflare coeperunt, in quibus alterutra de literis diphthongum constituentibus, speciatim littera A, sive quodam compendiaro scribendi modo, sive librariorum culpa, saepenumero desideratur. Quod mihi, veterum *Quiritium* scripturam asserenti, minime fraudi est, imo ad distinguendas huius diphthongi literas valet, cum littera E, diphthongum finiens, in sequioribus librorum chartis, per se ac sola crebro posita reperiat, ac praecipue eius in hoc latine scribendi genere ratio habeatur. Perantiquus Sallustii codex, quem versavit Cl. Reinesius, nunc possidet noster, & magni aestimat, rem demonstrat satis, & fidem scripturae facit. Nihil enim causae est, quamobrem plures nominare debeam, quos vidisse memini, eundem scribendi morem observantes. Ex quibus omnibus clarissime patet, si ae & oe disiunctim scribantur, id nec novum esse, nec ratione destitui.

## DVBIVM II.

**L**oco j male pingitur i, ut: *iuris practicus, iuridicum*. Resp. Haec critice aequae est infirma, ac prior. Sic enim scribunt, qui & saepe n ponunt pro v, *Lutherus, Melanchthon, Bugenhagenus, Wigandus, Reginus, Mart. Chemnitius, Dav. Chytraeus, Luc. Osiander, Calvinus, Beza, Heshusius, Dan. Hofmannus, Selneccerus, Heerbrandus, Erasmus*, eiusque patres, *Hilarius, Ambrosius, Augustinus, & Hieronymus, P. Bembus, P. Iustinianus, Georg. Fabricius, Sabinus, Strigelius, Rob. Stephanus, Lactantius*

(\*) In Orthograph. lat. 14.

tius Bezae, Brissoni, auctores antiqui grammaticae latinae, Scioppius, Sanctius, Manutius, Renchlinus, Io. Sturm, Valent. Forsterus, Pentinger, Lipsius, Muretus, Caselius, Conr. Horneius, Crusius, Iovius, Beroaldus, Io. Bodinus, Rensnerus, Zasius, Castilio Burgundius, Valla, Henr. Noris, Io. Vorstius, Neumannus, Antonius, Buddens, Pritius, Schurtzschii & Bergeri fratres, \* Cellarius; imo & auctores classici, ut Cicero Sturmi, Sallustius Gruteri, Tacitus & Iustinus Berneggeri, Florus Freinsheimii, Velleius Paterculus Boecleri, Petronius variorum, Caesar editionis gryphianae, & L. Ann. Seneca editionis basileensis. Hisce bibliothecae meae non magnae auctoribus evolvendis aliquando, cum otii quid nactus essem, bihorium duntaxat impendi. Quantus igitur numerus iniri posset, si plures inspicerentur! Sed illa vulgaris scriptio, qua tanquam proba niteris, ex praedicio originem trahit, & vitio scholarum; in sana autem Grammatica plane nullum habet fundamentum.

### DVBIVM III.

*Super ad verbiis videtur ponendos esse accentus & super ablativis circumflexus, seu tetula, hoc modo: legitimè, domô.*

**R**espondetur. Et isti tam accentus, quam circumflexus e scholis trivialibus profecti sunt, sed litteratoribus & veris Grammaticis ac  
Phi.

(\*) In Orthograph. lat. 14.

Philologis fastidium movent. Vt vere scribat elegantioris eruditionis alumnus & propagator *Daumius* in epistol. Part. I. pag. 31. *Omnis accentuandi ratio, est insuper habenda.* Et *Ioseph. Iustus Scaliger* in *Scaligeranis* pag. 4. & in epistola 297. *Accentus graves, qui dictionibus latinis apponuntur, nostra memoria introducti sunt, & in libros illati; qui cum nihil inuent auditorem, qui nescit, utrum sit accipiendum quantum, ad modum adverbii, vel ut nomen, nec etiam pronunciantem, toto coelo latino eiiciendi & expellendi sunt.* Vide etiam *Muretum* & *Vossium* apud *Walchium* in *Büchersaal* T. 3. 533. *Scaligerana* 333. *Melissum* in *Epist. Goldasti* 317. *Sanctium Minervae* l. 4. c. 14. n. 5. *Chr. Cellar.* *Grammat. lat.* 128. atque *Orthograph. lat.* 53. & praefat. in *Schurtzsfleisch.* *Orthogr. rom.* pag. 10. Et quamvis *Norifius* in *Orthograph. p.* 139. contra *Vossium* pertendat, non esse recentem accentus apponendi consuetudinem, eosque in celebri etiam marmore pisano reperiri, ibidem tamen fatetur, *rariores in lapidibus conspici.* Nec indigna sunt eius verba, quae exscribantur: *Vocabulorum sonos fateor esse antiquissimos, quos accentus vocant, sed cum ipsa pronuntiatione statim coepisse, non dixerim: quin horum notae ac lineolae multo recentiores sunt, & Latii antiquitatem mentiuntur. Quas ex Fabio qui exsculpunt, plus conantur, quam praestant, & mentem rhetoris non assequuntur. Tum signa, quae, vitandae ambiguitatis causa, poni solent, nova Grammaticorum inventa sunt, propter tirones, quos admonent, recepta vulgo; at Romae latine loquenti ne nota quidem, nedum usque probata.*

## DVBIVM IV.

**I**N voce DISPONIT, syllabae non sunt recte disjunctae ad hunc modum, dis.ponit. Resp. Ad praefactionem Grammat. lat. doctissimi Praschii, & informaberis rectissime. Sic autem ille, agens de praesuppositis Grammaticae: *In vocibus compositis unaquaeque pars separatur, ut abs.traho, praeter- eo.* Sic etiam Collectores Actor. erudit. ad A. 1688. p. 584. distinguunt in verbo ostendit, ut scribant os - tendit; Schurtzfleischius, et - iam; Io. Alb. Fabricius, ad - ornarunt. Et in Lucii cenotaphio, quod Pisis exstat, nomen Magistratus ita divisum legitur, MAGIS - TRATVS. De quo vide (a) Noris in Orthograph. utr. pisan. tab. In primis autem consule Cellarium Grammat. lat. 127. & Orthogr. lat. 68.

## DVBIVM V.

Num recte scribitur maestissimorum pro moestissimorum?

**R**espond. Sane cum (b) Manutio ad Muretum: *In erratis cur numeras maeror? quod vetustas universa probat.* Ita etiam Berneggerus, non tantum in Taciti Indice, sed & passim in libro ipso. Quamquam nec cum oe vocabulum isthoc pingere detrectem. Eruditissimus (c) Schurtzfleischius hac de re sic docet: MOE-

(a) Pag. 137. (b) In Epist. l. 3. p. 152. (c) Orth. rom. p. 42.

**MOEREO** per OE; *quamvis alii Manutium secuti, per AE scribendum censeant, iudicio quorundam lapidum. Sed alii in his fabrile erratum notant. At Narsius Orthograph. p. 119. censet, diphthongum AE characterem antiquiorem exhibere, & in medico nunquam satis laudato Virgilii codice, semper diphthongum AE scriptam fuisse testatur. Vide etiam Cellar. de Orthograph. lat. 105.*

## DVBIVM VI.

**A** *Admiratio subit, cur nomina dignitatum, ut, Consul, Syndicus, Doctor, Consiliarius, Professor, Advocatus, Praefectus: similiter Syndicatus, & nomina a civitatum nominibus desumpta, e. g. Dorpetanus, Viennensis, item Academia, & plura alia, non scribantur littera initiali maiuscula. Resp. Legenda est Cellarii Grammatica latina p. 28. & Orthographia latina p. 66. inspiciendique bonorum auctorum libri: tunc sane constabit, istam scribendi rationem nihil novi sapere, nec nudius tertius apud nos natam esse. Placetne probatio? Eccam, sine ulla difficultate. consul Vellei. Paterculus l. 2. c. 92. 38. 97. Tacitus Annal. l. 1. c. 14. Cicero Epist. ad famil. l. 1. epist. 9. & l. 12. epist. 14. Ger. Io. Vossius de Hist. lat. cap. 34. pag. 112. coff. Voss. l. 1. c. 25. pag. 120. 520. Histor. narrat. de introduct. universit. Iuliae H h 4. l. i. proconsul. Vellei. Paterc. l. 2. cap. 31. consularis. Cic. l. 2. epist. 19. ad famil. praefectus. Voss. l. 1. c. Schurtzfl. Dissert. acad. pag. 355. tribunus plebis. Cic. l. 1. epist. 9. praetor. Id. ibid. senator. Manutius ad Cic. Epist. ad famil. pag. 136. Peutinger*  
in

in praef. Serm. conviv. a 5. *quaestor*. Cic. l. 2. epist. 17. *aedilis*. pag 260. *consiliarius*. Schrader. Progr. 30. m. Peuting. pag. 8. & 12. Heshuf. in dedicat. Exam. theol. A. 2. & B. *princeps*. Vellei. Paterc. l. c. & c. 31. Tacit. Hist. l. 1. c. 4. Florus l. 1. Cic. l. 1. epist. 9. ad famil. Burgund. Hist. bavar. p. 1. Rheg. oper. lat. pag. 270. b. Descr. introd. univers. Iuliae M. N 4. H h 4. I i. *dux*. Vellei. Paterc. l. c. & Boecler. in Annot. p. 1. Voss. 687. *rex*. Flor. l. 2. c. 8. & l. 1. c. 18. Cic. l. 9. epist. 19. & Manutius ad eam. Schrader. in Dispos. orat. X. & in Aristot. Rhet. 64. Heidmannus in Palaest. 96. *imperator*. Vellei. Paterc. l. 2. c. 96. Cic. l. 1. epist. 9. Heidmann. pag. 39. Schrader. in Comment. in Arist. Rhet. & in Progr. 41. *papa*. Hieronymus T. 2. 199. Voss. 499. *propheta*. Augustin. l. 20. de C. D. c. 28. *evangelista*. Horneius Dispp. P. 1. 18. *apostolus*. Heidmann. 167. *dea*. Flor. l. 1. c. 2. *deus*. Augustin. l. 21. de C. D. c. 6. *dominus Iesus*. Id. l. 10. c. 14. *daemones*. Horneius pag. 96. *dominus*, i. e. Deus. Augustin. l. 20. c. 28. & Hilarius. *santus spiritus*. Schrader. in Comm. in Arist. Rhet. 65. *primus summusque pater*, i. e. Deus. Casel. in epist. ad I. H. Meibom. p. 64. *praetorius & pontifex*. Vellei. Paterc. l. 2. c. 75. *patriarcha*. Heidm. 96. *servator generis humani*. Hornei. p. 24. 166. Chytraeus in c. 4. Habac. pag. 395. *eques*. Vellei. Paterc. lib. 2. cap. 30. Voss. 663. *comes*. Id. 500. *comes palatinus*. Burgund. p. 1. *episcopus*. Voss. passim in cit. lib. Heidmann. 39. Horneius p. 19. 22. *archiepiscopus*. Voss. 295. *abbas*. Erasmi. in Lingua p. 86. b. Voss. l. c. *abbatissa*. Voss.



Voss. 687. *antistes*. Sulpic. Sever. de vita B. Martini c. 9. pag. 312. *praesul*. Erasm. in ep. ad Albertum archiep. mogunt. Compendio theol. praefixa. *patres* (ecclesiae) Hornei. pag. 24. *dominus*, de homine illustri. Casel. P. 2. oper. pag. 60. Peutinger pag. 12. *theologus*. Autor append. ad Luth. epist. ad Theologos norib. edit. Lipsiae A. 1572. in 8vo. *iurisconsulti*. Casel. ep. ad I. H. Meibom. 64. Heins. Orat. 1. p. 5. *doctor*. Casel. T. 2. oper. 60. Voss. 732. Hornei. praefat. ad Cocum a 2. *professor*. Hornei. P. 1. Dispp. p. 22. Descript. Introd. univers. Iuliae M. Schurzfleisch Dissert. acad. pag. 253. *magister artis vel philosophiae*. Casel. P. 2. oper. 54. 60. *ecclesiae antistites*. Sulpic. Sever. l. 1. 1. Hornei. praefat. in Cocum a 3. & P. 1. Dispp. pag. 19. *senatus*. Vellei. Paterc. l. 2. c. 30. & 125. Cic. l. 1. ep. 5. & Manutius in Not. pag. 136. 147. Descript. introd. acad. Iul. M. b. *consulatus*. Cic. l. 2. epist. 1. Tacit. Annal. l. 1. c. 3. Vellei. Paterc. l. 1. c. 11. 12. *praetura*. Manut. in Ep. Cic. ad famil. pag. 14. Heins. in orat. 3. pag. 26. *academia*. Casel. in epist. ad I. H. Meibom. b. 4. & in P. 2. Oper. 59. 60. 64. Hornei. P. 1. Dispp. pag. 22. *academia Iulia*. Casel. ibid. & in P. 1. oper. 209. in prooem. in *προπολιτ.* A 4. & P. 2. pag. 12. 13. 14. 16. & autor vitae Caselii, quae Part. I. operum praefixa, A. *schola Iulia*. Descript. introd. acad. Iul. L. 4. *latinas literas*. Casel. in epist. ad I. H. Meibom. b. 4. *imperatoris nominibus*. Tacit. l. 1. Annal. cap. 3. *consulare fastigium*. Vellei. Patere. l. 2. c. 69. *sententiae senatoriae*. Cic. ad famil. l. 1. epist. 9. sub init. *Iphigenia aulidensis*. Erasm.

in

in Epist. p. 1182. *sermo hebraicus*. Id. in Compend. pag. 117. *sermo graecus*. ibid. & Reuchlin. in Lex hebr. pag. 77. 78. 84. 356. *ecclesiam romanam*. D. S. Scultetus in Antididagm. p. 464. *romano-catholici* ibid. *ministerium ecclesiasticum*. 758. *dominium papale*. ibid. *argumentum gallicanum* 744. *via damascena*. 673. *dunelmensis episcopus*. Q q q 7. b. *ex aere campano*. Prasch. in Thes. onomast. pag. 72. *alveoli cyprii*. 73. *cerasa aetia*. 75. Ac vel ideo praeflat, adiectiva quaecunque literis minusculis scribere, ut omnis tollatur ambiguitas: nam si scribo, *de fontium Hebraeorum interprete*, ambiget lector, an *to Hebraeorum* sumendum sit de populo, vel pro adiectivo, pertinente ad nomen *fontium*; si vero pro H posuerim h, nullus ei movebitur scrupulus. Similiter scriptio haec, *Leonardus Aretinus*, *Galeotus Narniensis*, *Angelus Politianus*, facile tibi generabit opinionem, *Aretinus*, *Narniensis*, *Politianus*, esse cognomina, quum tamen ille *Bruni*, iste *Martii*, hic *Bassi* cognomen habuerit. Sed si ita pingitur, *aretinus*, *narniensis*, *politianus*, nulla manebit suspicionem falsumque sensum generandi materia aut occasio.

## DVBIVM VII.

An recte scribitur *ss*, faciendumque est discrimen inter *v* consonantem, & *u* vocalem?

**R**espondetur, & quidem ad priorem dubii partem: *Daumio* iudice, pro *ss* scribendum est *ss*. Videatur P. I. Epistolar. eius p. 31. Adal-  
te.

teram vero: Si Ios. Iust. *Scaligerum* audire volumus, minime illud discrimen inter *v* & *u* faciendum; quin immo magno huic viro id rami-  
sticum videtur. In *Scaligeranis* p. 333.

## FINIS.

---

## ERRATA

Sic sunt corrigenda.

Pag.	lin.	
3.	5.	patavini
13.	ult.	pollicitus
23.	9.	margaritae
26.	3.	cruribus
33.	17.	introiderent
37.	14.	exerere
42.	12.	Quantum
43.	32.	quod
44.	ult.	palmam
46.	32.	tuendae